

pingue præ duobus jam enumeratis, simulque perpetuum : non tamen potest obtineri, nisi duobus modis. Et primo quidem, quando ex probationibus actoris jam factis constat nullum jus actori competere ; aut quando datus ipsi omnibus juridicis dilationibus, actor nihil probavit : tunc enim locum habet illud vulgatum : « Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil ipse præstiterit, obtinebit, » prout habetur *c. Cum Ecclesia*, 3, § fin. *de Caus. possess.* cum concordantiis. Secundo quando reus ipsemet, etiam lite nondum contestata, vult in se suscipere onus probandi de injusta petitione actoris : nam secuta hac probatione, sive per testes, sive per alia legitima argumenta, proterri debet a iudice sententia diffinitiva, reusque absolvi ab impetitione actoris, judicialiter pronuntiando, quod reus non debeat actori rem petitam ; ut *c. Causam*, 3, h. t. Auth. *Qui semel*. C. *Quomodo et quando*, etc.

101. *Litigatoris absentia Dei presentia repletur.* — Neque tunc obstat absentia actoris. Siquidem stante sua contumacia, ipsius actoris seu litigatoris absentia Dei presentia repletur, juxta textum notabilem in l. *Properandum*. § *Sin autem*. c. *de Judiciis* ; sicque nihil obstat absentia illa : præsertim, cum etiam tunc in favorem actoris, licet contumaciter absentis, ob Dei cuncta videntis presentiam, et evitandam ejus offensam, oporteat iudicem inquirere, testesque recipere, ut illico magis dicitur.

102. *Ante ejusmodi tamen sententiam diffinitivam debet iudex diligenter examinare negotium pro utraque parte.* — Unde notandum, quod quando proceditur contra actorem contumaciter absentem in ordine ad obtinendam sententiam diffinitivam, iudex diligenter examinare debeat negotium pro utraque parte. Siquidem iudex usque ad prolationem sententiæ debet universa rimari. c. *Cum Joannes*, 10. § *Ad hoc*. *de Fide instrument.* ac proinde potest, et debet, in favorem etiam actoris absentis (utpote cujus absentiam tunc supplet Dei presentia) inquirere veritatem ; atque ex officio suo supplere absentiam ejus recipiendo testes, aliasque probationes, arg. cap. un. *De eo qui mittitur in possess.* in 6. juncta Auth. *de Litigiosis*. § *Omnem*. colat. 8.

103. *Et quid, si viderit, quod actor absens meliorem causam habeat?* — Et hoc adeo verum est, ut si iudex ex actis apud se gestis, seu ex allegatis et probatis, perspexerit,

quod actor, licet contumaciter absens, meliorem causam habeat, pro ipso diffinitivam ferre sententiam teneatur : ita tamen, ut expensas litis reo reddere teneatur, quas ipse præsens cum taxatione iudicis legitime sese expendisse juraverit. Siquidem hanc pœnam actori, licet meliorem causam habenti, jura statuerunt propter solam contumacis absentia pœnam, l. *Properandum*. § *Et si quidem*, c. *de Judiciis*. juncta Glossa, et doctoribus ibid. et l. *Et post edictum*. § 1. ff. eod.

104. IV. *Ut reus etiam pro se pronuntiari postulet.* — IV. Remedium rei contra actorem contumaciter absentem est : ut in tali casu reus non solum diffinitive ab impetitione actoris sese absolvi petat, sed etiam pro se pronuntiari postulet. Exemplo istud declaratur : Titius actor rei vindicatione petivit agrum a Cajo possessum, et postmodum Titius contumaciter se absentat : quo cognito Cajus adhibitis pro sua mentione idoneis probationibus, petit non solum absolvi ab illa impetitione Titii per diffinitivam sententiam, qua declaratur agrum illum non deberi Titio ; sed insuper postulat judicialiter pronuntiari, quod ipse sit verus dominus illius agri. In hoc quippe casu Cajus uteretur quarto isto remedio, quo imposterum non solum contra Titium, sed contra quemcumque tertium sese defendere posset, opponendo exceptionem rei judicatæ.

105. *Remedium istud est cæteris pinguius ; et quid ad illud obtinendum requiratur?* — Unde patet, quod istud remedium cæteris omnibus sit pinguius : ad illud tamen obtinendum non sufficit probare dumtaxat, rem illam, v. g. agrum, non esse Titii actoris (licet hoc satis sit ad remedium tertium proxime explicatum) ; sed requiritur ulterius, quod Cajus reus etiam probet de jure suo, nempe quod ipse sit dominus agri, arg. c. *Olim ex litteris*, 25. *de Rescript.* et notat Glossa fin. in cap. un. *De eo, qui mittitur in possess.* in 6. Et merito : quia non sequitur, « Ager ille non est Titii actoris, ergo est Caji rei, » nisi hoc specialiter probetur : quia posset esse alicujus tertii. Abbas cit. c. *Causam*. n. 18. h. t.

106. *In arbitrio rei est unum ex dictis remediis contra actorem contumacem eligere.* — Porro in arbitrio rei est, quale remedium ex præfatis velit arripere contra actorem contumaciter absentem : nimirum, an velit solum petere, absolvi se a facta citatione ; aut etiam ab observatione iudicii, seu a facta instantia

cum refusione expensarum per actorem præstanda : vel, an insuper petere velit absolvi ab impetitione actoris : aut, an etiam desideret pro se pronuntiari, sibi rem controversam adjudicari ; atque in hunc finem velit onus probandi in se suscipere, ac proinde etiam absente actore usque ad sententiam diffinitivam procedere, juxta cit. c. *Causam*. h. t. Dummodo hoc ultimum non temere fiat, sed probe perpensis suis probationibus et rationibus, ne alioquin contra ipsum pronuntiari contingat, ubi uno ex præcedentibus remediis indubitata pro tunc potuisset sperare victoriam.

§ IV.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA REUM CONTUMACEM.

107. *Reus in prima citatione contumax, secundo et tertio citandus est.* — Queritur I. Utrum, ac intra quale temporis intervallum, reus semel contumax, de novo sit citandus? Resp. I. Quando reus fuit contumax in prima citatione, et in termino ejus non venit per se, nec per idoneum procuratorem, tunc is ad instantiam actoris secunda vice, et necdum comparens tertia vice citandus est : nisi primitus uno pro tribus peremptorio edicto citatus fuerit. Ita communis ; et patet ex can. *De illicita*, 24. quæst. 3. et l. *Contumacia*. ff. *de Re judicat.* et l. *Ad peremptorium*. et l. *Nonnunquam*. ff. *de Judiciis*, cum similibus. Alioquin quippe contra reum, nisi taliter citatum, ad sententiam diffinitivam, vel missionem ex primo, aut secundo Decreto, perveniri non posset ; ut jam supra, § 2, num. 62, declaratum fuit.

108. *Prima citatio vocatur conventionalis, secunda monitoria et tertia peremptoria.* — Circa quod notat Speculator tit. *de Contumacia*. § *Viso*. n. 16. quod prima citatio vocetur conventionalis : quia in ea dicitur : « Venias tali die coram tali iudice. » Secunda, monitoria : quia iudex dicit : « Unde monet eum, ut veniat. » Tertia vero appellatur peremptoria : quia dicitur in ea : « Nisi venerit, procedet iudex, » etc. condemnando, vel absolvendo.

109. *Tres illæ citationes de jure civili debent fieri per intervallum saltem decem dierum.* — Resp. II. Etsi de rigore juris civilis dictæ tres citationes rei contumacis debeant fieri saltem dato intervallo decem dierum, inter unam et

alteram citationem interponendorum : de jure tamen canonico rigor iste non procedit, sed intervallum illud est positum in arbitrio iudicis. Prior pars habetur in l. *Ad peremptorium*, et l. *Per intervallum*. ff. *de Judiciis* : ubi expresse sancitur, singulas tres citationes esse faciendas successive « per intervallum non minus decem dierum. » Quamvis enim in Auth. *Qui semel*. C. *Quomodo et quando*, etc. longius intervallum videatur præfigi, statuendo ut inter singulas citationes interponatur spatium triginta dierum, tamen Authentica illa non loquitur de citatione rei contumacis, sed in alio casu speciali ; nempe, quando actore per contumaciam absente reus vult proponere probationes suas, ut pro ipso feratur sententia diffinitiva : prout jam supra tit. VIII. *de Dilationibus*. § 2. numer. 26 et 27. dictum fuit.

110. *De jure canonico intervallum istud est positum in arbitrio iudicis.* — Altera pars est Glossæ in can. *De illicita*, 23, q. 3, §. *Peremptorio*, et Archidiaconi, ibid. nu. 4, dum asserunt, quid istud in arbitrio iudicis sit positum : idemque tenet Abbas in cap. 1, num. 7, *de Dilationibus*. et Pirhing. h. t. num. 25. Ratio est, tum quia in ecclesiasticis personis, ac negotiis, rigor juris civilis non requiritur, ubi justitia propter hoc non periclitatur, cap. I. *de Dolo et contumacia*. juncta Glossa §. *Rigor*. et §. *Non periclitatur*. et doctores. ibid. ; tum quia de jure canonico spatium illud decem dierum, intra unam et alteram citationem interponendum, nullibi præscribitur, neque de consuetudine fori ecclesiastici observatur, ut inquit Abbas cit. numer. 7. Unde sequitur, quod dictum temporis spatium sit positum in arbitrio iudicis ecclesiastici, qui considerata qualitate negotii, conditione personarum, ac locorum distantia, intervallum illud moderari, vel etiam ampliare potest, arg. c. *Cum sit Romana*. 5. *de Appellat.* ac notat Glossa in cap. 1. §. *Nimis brevem*. et Abbas ibid. num. 7. *de Dilationibus*. post Innocentium, et alios.

111. *Dummodo hic terminum illum non nimis restringat.* — Intelligence, dummodo iudex terminum illum non nimis restringat, ne justa præbeatur causa appellandi, juxta textum, et doctores. in d. cap. 1. *de Dilationibus*. Siquidem in his, quæ iudicis arbitrio relinquuntur, tenetur iudex arbitrari ut bonus vir. Et hoc ipsum procedit in casu, quo fit unica citatio peremptoria : quamvis enim nonnulli voluerint eam debere continere tantum in-

tervallum, quantum continerent tres successive factæ; melius tamen dicitur hoc ipsum esse positum in iudicis arbitrio. Glossa in cit. can. *De illicita*. 24, quæst. 3, §. *Peremptorio*. His adde dicta superius tit. VIII. *De Dilationibus*, § 2, num. 23 et seqq. ubi etiam num. 29 et 30 referuntur causæ, ob quas iudex potest abbreviare, vel prolongare intervalla citationum.

112. *Utrum reus, qui tantum fuit contumax in prima citatione, condemnari debeat actori in expensis? Et ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum reus, qui tantum fuit contumax in prima citatione, non item in secunda vel tertia, possit condemnari in expensis per actorem factis tempore primæ citationis, in qua reus non venit? Ratio dubitandi est, quia talis nondum censetur committere contumaciam; cum contumax ille sit, qui tribus edictis, vel uno peremptorio evocatus, venire contemnit, l. *Contumacia*. ff. *de Re judicat.* et can. *De illicita*. 23, q. 3. Et hinc sententiam negativam tenent Jo. de Arét. et Fulgosius in l. *Sancimus*. C. *de Judiciis*, ut refert Jason illico citandus. Verum hoc non obstante.

113. *Affirmativa sententia est vera.* — Resp. Si reus non venerit in prima vel secunda citatione, licet postea veniat, nihilominus condemnari debet actori in expensis, quas actor tunc veniendo fecerat. Ita Glossa notabilis in c. *Honoratus*. dist. 74. §. *Tot scriptis*. et alia Glossa in c. *Querelam*. §. *Rationabili causa*. et Abbas ibid. n. 8. *de Procurat.* Speculator tit. *de Citatione*. §. *Viso*. n. 40; Bartolus in l. *Contumacia*. §. *Contumax est*. ff. *de Re judicat.* et in Auth. *Qui semel*. §. *Nota termino*. C. *Quomodo ei quando*, etc. et Jason in l. *Sancimus*. n. 18. C. *de Judiciis*, citans alios, et subjungens, quod hæc sit veritas. Ratio est, quia ex prima citatione, dum quis venire contemnit, jam committitur inobedientia erga iudicem; sicque contrahitur contumacia. Id ipsum probatur ex cit. c. *Querelam*. 2, *de Procurat.* argumento a sensu contrario desumpto. Concordat textus in l. 2. ff. *Si quis in jus vocatus*, etc. et l. *Sancimus*. C. *de Judiciis*: ubi contumax, seu citatus et non veniens, si postea comparuerit, amplius non auditur, nisi refectis prius adversario expensis. Et merito: ne alioquin innocens damnum pati cogatur ob culpam alterius, et hujus odio prægravetur.

114. *Solvuntur jura in contrarium.* — Nec obstante jure n. 112 in contrarium allato; nam solum voluit, quod quis ante trinam

factam citationem, aut unam peremptoriam, non censeatur contumax, quantum ad hoc, ut contra eum possit deveniri ad primum et secundum decretum, vel ad sententiam definitivam; prout explicat Bartolus in c. 1. *Contumacia*. §. *Contumax est*. ff. *de Re judicat.* et Jason c. 1. *Sancimus*. n. 18. C. *de Judic.* cum aliis; neque etiam censeatur contumax, quantum ad incurendam excommunicationem, et alias pœnas contumacibus debitas: non vero loquantur de expensis, earumque restitutione parti adversæ innocentis præstanda, ne indebite gravetur. Glossa cit. can. *Honoratus*. dist. 74. vers. *Tot scriptis*; Abbas cit. n. 8 et alii. Licet enim satis sit ad effugiendas juris pœnas comparere in uno dictorum terminorum: tamen quia talis in primo jam citationis termino fuit inobediens iudicis præcepto cum damno partis adversæ, recte condemnatur instante parte læsa ad resarciendas ipsi factas expensas.

115. *Si reus extra iudicium ad primam citationem respondeat se nolle comparere, debet secundo et tertio citari; secus, si in iudicio ita responderit.* — Quæritur III. An si reus ad primam citationem dixerit se nolle comparere, is denuo sit citandus? Resp. I. Quando reus citatus extra iudicium sic respondit nuntio citanti, tunc is rursus secunda et tertia vice citandus est: secus, si ipse in iudicio prædixerit iudici amplius se non compariturum. Ita Abbas in c. *Cum parati*, n. 12, *de Appellat.*; Engel h. t. n. 13 et alii. Et quamvis Glossa in c. *De illicita*. 24. q. 3. §. *Peremptorio*, indistincte asserat, quod si reus ad primam citationem dicat se nolle venire, non sit denuo citandus, tamen dictum istud solum procedere sub data distinctione, bene notat alia Glossa in c. *Venerabilibus*, §. *In iudicio*. *de Sentent. excomm.* in 6.

116. *Idque probatur.* — Probatur conclusio quoad utrumque partem, imprimis ex cit. c. *Venerabilibus*, §. *Porro*, *de Sentent. excomm.* in 6. nam ibi expresse dicitur, «quod si quis forte prædixerat in iudicio, quod minime compareret, manifesta sit contumacia ejus.» Ubi ponderanda dictio illa, «in iudicio:» secus ergo dicendum, quando quis extra iudicium hoc dixerit; prout argumentatur Glossa ibid. §. *In iudicio*. Confirmatur: quia ideo citationes geminantur, et ter fieri jubentur, ut sufficienter pateat de voluntate citati, deque ejus contumacia, si non comparuerit, arg. l. *Contumacia*. ff. *de Re judi-*

cat. Atqui, si citatus dicat in iudicio se nolle venire, jam constat de ejus voluntate, estque manifesta ipsius contumacia. Secus, si extra iudicium sic dixerit: ergo in hoc posteriori casu denuo erit citandus, non autem in priori; quia in incertis, non in certis, est locus conjecturæ, l. *Continuus*. §. *Ita*. ff. *de Verb. signif.*

117. *Idque probatur.* — Confirmatur specialiter prima pars conclusionis. Quia assertio nuntii, dicentis, quod citatus dixerit se non venturum, non facit plenam probationem; ergo ad solius nuntii verbum non potest illico procedi contra reum, veluti contumacem. Antecedens probatur: quia nuntio, etiam jurato, non creditur, nisi de suo actu (v. g. quod alterum citaverit), non autem de actu alieno ad suum officium non pertinente; ut est memorata responsio rei citati. Abbas cit. num. 12, Gailus; lib. I. *Pract.* observat. 54, n. 4.

118. *Confessio facta ex calore iracundiæ non tenet, nisi in ea detur perseverantia.* — Deinde, licet per alios testes legitime probari possit, reum citatum ita nuntio citanti respondisse, potuit tamen citatus id dixisse ex calore iracundiæ: atqui confessio facta ex calore iracundiæ non tenet, nisi in ea detur perseverantia, juxta Glossam c. *Ex litteris*. §. *Admonita*. *de Divort.* et favet textus in l. *Quidquid*. 49, ff. *de Reg. jur.* ibi: «Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuerit iudicium animi fuisse.»

119. *Quid agendum cum reo extra iudicium respondententi, se nolle comparere.* — Sequitur ergo, quod in tali casu expectandus sit terminus factæ citationis: etsi mutata voluntate reus citatus in ipso comparuerit, propter illam solam locutionem extrajudicialem non debeat censeri contumax, quamvis ob aliqualem contemptum iudici illatum pœna extraordinaria puniri possit. Actori vero nihil per hoc juris accrescit, utpote qui tunc primum de contumacia rei conqueri potest, quando is in termino citationis non comparuit: nam hoc interest actoris, ipsique præjudicat in factis expensis, non illud dictum extrajudiciale rei.

120. *Præsertim, si in termino citationis non comparuerit?* — Sequitur ulterius, quod reus ille, licet in primo termino citationis non comparuerit, secundo et tertio citari debeat: siquidem respectu causæ nondum est manifeste contumax; simulque jura requirunt

trinam citationem, vel unam pro omnibus peremptoriam, antequam in contumaciam procedi possit, can. *De illicita*, 24, q. 3, cum concordantiis. Et hæc est benignior sententia, quam tenet Engel h. t. n. 14. Quamvis Abbas in cit. c. *Cum parati*, n. 12, *de Appellat.* et post ipsum Pirhing, h. t. n. 47, velint reum illum, qui nuntio citanti dixit se nolle comparere, simulque postea in termino non comparuit, haud amplius fore citandum: quia (inquiunt) tunc insurgunt duæ præsumptiones contra reum absentem; una, quæ oritur ex contumacia, seu absentia sua in termino, c. *Nullus*. *de Præsumpt.*; altera, quæ jam orta est ex relatione nuntii, aliquam etiam fidem faciente, arg. c. *Cum parati*, 19, §. *Cumque*. *de Appellat.* Verum quia ambæ hæc præsumptiones non convincunt manifestam respectu causæ contumaciam, et adhuc urgent allata nostræ conclusionis fundamenta; non videtur recedendum a benigniore sententia; sed adhuc reus ille citandus erit.

121. *Et quid, si in iudicio ita responderit?* — Secus dicendum, quando reus in iudicio dixisset se non amplius compariturum. Nam quia confessio facta in iudicio, parit notorium, cap. ult. *de Cohabit. cleric.*, jam ejus contumacia foret manifesta, c. *Venerabilibus*, §. *Porro*, *de Sent. excomm.* in 6, ac proinde contra talem, veluti manifeste contumacem, illico potest iudex procedere, non facta ulteriori ejus citatione. Siquidem citationes solum geminantur, ut appareat de voluntate citati; ergo ubi notorie constat, talem nolle comparere, frustra amplius adhibentur. Innocentius, c. *Ad petitionem*, *de Accusat.*; Abbas, ubi supra, et alii, junctis dictis superius n. 116.

122. *Judex, antequam procedat ad infligendas reo absentis pœnas, debet eum declarare contumacem.* — Quæritur IV. Quid agendum sit iudici, antequam contra reum contumacem procedat ad infligendas pœnas? Resp. Quando reus legitime citatus, contumax est non comparendo in termino peremptorio, tunc actore instante rei que absentis contumaciam incurante, iudex antequam ad pœnas contumaci infligendas procedat, debet ipsam declarare, seu pronuntiare contumacem. Ita desumitur ex c. *Cum dilecti*, 6, §. fin. ac notat Abbas ibid. n. 8, h. t. Speculator tit. *de Contumacia*. §. *Sequitur*. n. 1 et alii. Et merito. Neque enim contra aliquem, veluti contumacem, procedi potest infligendo pœnas jure statutas, nisi prius de ejus contumacia constet in ju-

dicio; alioquin enim injusta foret executio pœnæ, si infligeretur nondum condemnato, seu ante sententiam saltem declaratoriam iudicis super commisso crimine, seu contumacia, arg. c. *Cum secundum*, de *Hæreticis*. in l. *Ejus, qui delatorem*, ff. de *Jure fisci*, ibi: « Verum oportet constare prius, et de crimine pronuntiari. »

123. *Attendendo prius, an non habeat justam causam absentiae, et aliquoties expectando.* — Oportet tamen, ut prius iudex attendat, atque investiget, an reus tunc absens non habeat justam causam absentiae, sive legitimum impedimentum, quominus in termino præfixo venerit, sicque excusetur a delicto contumaciae, arg. c. *Consuluit*, 24, de *Offic. delegat.* ubi idcirco, æquitate sic suadente, potest iudex contumacem expectare in diem alterum post terminum peremptorium, et cit. c. *Cum dilecti*, § *Expectantibus*, h. t. Ubi hac de causa Pontifex reum absentem diu ultra assignatum terminum peremptorium expectavit, antequam eum declararet contumacem, atque damnaret in legitimis expensis litis, parti adversæ a tempore factæ citationis præstandis. Huc facit textus in l. *Si finita*, § *Si forte*, ff. de *Damno infecto*, ubi in simili dicitur, « non debere prætorem festinare ad decernendum, » puta, ad ferendum sententiam super contumacia.

124. *Cur non sit frustraneum, quod iudex in tali casu expectet? Mandatum de comparendo in iudicio ad certum tempus duo involvit; et quæ? —* Dices. Frustraneum est, quod iudex in tali casu expectet reum absentem in aliud tempus; ergo male hoc asseritur. Antecedens probatur; quia citatio peremptoria fuit affixa ad certum diem, sicque hoc elapso, sive culpabiliter sive inculpabiliter: absentem reum non amplius afficit: non minus, ac perceptum certa die jejunandi, vel missam audiendi, eodem elapso non amplius obligat. Resp. neg. antec. cum sua probatione, ac paritate. Nam præceptum jejunii, vel missæ audiendæ est simplex, ac certo diei affixum. Econtra vero, ut notat Pontifex in cit. c. *Cum dilecti*, h. t. quando mandatur alicui, ut ad certum terminum se iudici præsentet, duo (saltem virtualiter, ac implicite) sub hac forma præcipiuntur: videlicet primo, ut ad iudicem veniat, quod est principale; secundo, ut die præfixo veniat, quod est minus principale, ac secundarium. Unde, si venire non possit ad diem præfixum ob aliquod legitimum impedimentum, tunc occurrens, tenetur

nihilominus venire postea, quamprimum poterit; cum hoc sit præceptum principale. Sicut a pari; quando cuiquam mandatur, ut alteri solvat quampiam pecuniam ad certum diem, etsi solvere non potuerit die illo præfixo ob aliquod impedimentum, non per hoc liberatus est a mandato de solvendo, sed tenetur solvere quamprimum poterit, etiam elapso jam die solutioni præfixo. Concordat textus in l. *Celsus ait*. § *Sed ipse*. ff. de *Receptis arbitr.* ubi dicitur in tali casu duo esse præcepta: unum, pecuniam dari: aliud, intra tempus certum dari.

125. *Si reus citatus veniat intra terminum prorogatum citationis, vel postea, quid prosit? —* Accedit, quod in ejusmodi casu non sit futura frustranea comparitio rei citati. Si enim is venerit ad iudicem intra terminum citationis, saltem prorogatum, evitabit contumaciam, ejusque pœnas, arg. c. *Consuluit*, 24, de *Offic. delegat.* et c. *Cum dilecti*, 9, juncta Glossa *¶. Diutius*, h. t. et l. *Et si post tres*, ff. *Si quis cautionibus*, etc. Quamvis Abbas in cit. c. *Cum dilecti*, n. 15, h. t. hinc excipiat expensas, quas actor præsens ob moram rei fecit, sibi que restitui postulat. Si autem intra terminum citationis justo impedimento detentus non venerit, atque alleget, probetque impedimentum, ob quod in termino citationis præfixo non venit; etiam revocanda, seu evacuanda erit sententia interim contra ipsum veluti contumacem lata, et ipse restituitur in integrum, eo quod revera contumax non fuerit; ut c. *Querelam*, 2, de *Procurat.* et c. *Cum Bertholdus*, juncta Glossa *¶. Justam causam, de Sentent. et re judicat.* et alia Glossa in c. *Consuluit*, verb. *Æquitate*, de *Offic. delegat.* estque jam dictum supra § 2, n. 61.

§ V.

DE PŒNIS REI CONTUMACIS.

126. *Pœnæ rei contumacis sunt plures. —* Quæritur I. Quæ sint pœnæ rei contumacis? Resp. I. Plures sunt ejusmodi pœnæ in reos contumaces statuta; adeo, ut Maranta part. VI *Speculi aurei*. § *de Contumacia*, n. 9, et seqq. viginti quatuor tales pœnas enumeret. Earum principales cæteris dimissis, breviter hic enumerabuntur: circa quas tamen

127. *Has non incurrit, qui solum citatur, ut veniat, si sua interesse putaverit. —* Advertendum est, quod ille dumtaxat puniatur ut con-

tumax, qui citatur petendo aliquid fieri, vel dari ad ipso: secus, si citetur solum, ut veniat, si sua interesse putaverit. Nam ista citatio censetur citatio voluntaria, seu ad ipsius libitum facta: sicque non arctat citatum ad comparandum; cum nihil ab eo petatur fieri, vel dari, sed potius moneatur, ut veniat, si sua putaverit interesse: unde si non venerit, contumax dici nequit, nec puniri, quamvis sibi ipsi præjudicet negligendo proprium interesse. Maranta, ubi supra n. 38.

128. *In pœnis infligendis semper incipiendum est a minori, et crescente contumacia crescere debet et pœna. —* Advertendum ulterius, quod in pœnis infligendis semper a minori pœna, quantum fieri potest, sit incipiendum: et postmodum crescente contumacia, crescere debeat et pœna, arg. c. *Veritatis*, juncta Glossa *¶. Excommunicationis*, h. t. ubi episcopus contumaciter absens primo suspenditur ab officio, et beneficio; deinde excommunicatur, et tandem omnino deponitur. Concordat c. *Quoniam*, § *In aliis*. « Ut lite non contestata, » etc. ubi reo contumaciter absente actor primo mittitur in possessionem rei petita causa custodiae: deinde crescente alterius contumacia, sive post lapsum anni, tunc actor efficitur verus possessor. Simile quid habetur l. *Delegati*, ff. de *Pœnis*, ubi pœnæ relegati contumacis semper augentur, addita illa generali ratione: « Nam contumacia ejus, cumulat pœnam. » His prænotatis,

129. *Reus contumax, et postea veniens, non auditur, nisi refusus actoris expensis, et præstita cautione de iudicio sisti. —* Resp. I. Inter complures pœnas rei contumacis prima est, quod is postea veniens non audiatur amplius, nisi refusus actori expensis; simulque idoneam antea præstiterit cautionem de iudicio sisti, c. *Quoniam*, § *in aliis*, juncta Glossa *¶. Cautione*. « Ut lite non contestata, » et concordant dicta superius et § 3, n. 94 et 96, et § 4, n. 112 et seqq.

130. *Ob ejus contumaciam mittitur actor ex primo decreto in possessionem rei petita. —* II. Rei contumacis pœna est, quod ob ejus contumaciam mittatur actor ex primo decreto in possessionem bonorum ipsius custodia causa, ut reus tædio affectus veniat ad respondendum; prout ex professo declarabitur infra tit. seqq. ferme per totum.

131. *Ac post annum constituitur verus rei petita possessor. —* III. Pœna est, quod si reus

perseveret per annum in contumacia, gravius procedatur contra ipsum, dum actor vel ipso jure post lapsum unius anni constituitur verus rei petita possessor; prout accidit in actionibus realibus: vel saltem, loquendo de actionibus personalibus, actor mittitur in possessionem quorundam bonorum rei pro qualitate debiti declarati ex secundo decreto, ex quo is etiam constituitur verus ipsorum possessor; ita ut imposterum reus non nisi super proprietate eorundem audiatur, text. clar. c. *Quoniam*, § fin. « Ut lite non contestata, » atque amplius dicitur tit. seqq. n. 17 et seqq. et n. 24, et n. 50 et seqq.

132. *Potest quandoque iudex ob contumaciam rei sequestrare fructus rei petita. —* IV. Rei contumacis pœna, est sequestratio fructuum rei petita: nam potest quandoque iudex, spectatis variis circumstantiis, ob contumaciam rei non mittere actorem in possessionem rei petita, sed dumtaxat hujus fructus sequestrare usque ad exitum causæ. Et hoc desumitur ex c. *Olim, ex litteris*, 25, de *Rescript.* ubi in causa beneficii, ob contumaciam partis adversæ, legitur facta talis sequestratio fructuum, quam etiam Papa approbasse videtur, dum alteri parti adjudicavit Ecclesiam una cum fructibus sequestratis; prout notat Felinus ibid. n. 1, et Abbas n. 4 et 5. Concordat c. *Ex litteris*, 2, h. t. ubi licet monachi quidam, ob contumaciam partis adversæ, sive canonicorum Lincolnensium, fuissent mittendi in possessionem rerum petitarum; nihilominus iudices delegati, intuitu religionis, cum canonicis illis mitius agere volentes, possessionem illarum rerum sequestrari fecerunt, ut sic canonici, saltem tædio affecti, in iudicio stare cogentur.

133. *Sed non nisi concurrentibus, certis circumstantiis. —* Additur notanter « spectatis variis circumstantiis. » Nam regulariter propter contumaciam rei debet fieri missio in possessionem rei petita, nec nabet locum sequestratio fructuum, utpote quæ regulariter est prohibita, cum non expediat iudicium ab executione inchoari, ut notat Glossa in d. c. *Olim ex litteris*. *¶. Sequestrari*, ac Felinus, et Abbas, ubi supra. Nihilominus, quando concurrentibus certis circumstantiis nequit fieri missio in possessionem rei petita, prout accidit in causis beneficiis, et quoties in missione faciendâ timetur scandalum exorturum, aut alias iudex viderit, hoc melius esse: tunc potest etiam rem petitam seques-